



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 10. Quem ordinem servare debeamus in actibus externis, quibus
nobis & proximo subvenire possumus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

prohibet præceptum negativum, quod illi correspondet. Atqui præceptum negativum, quod correspondet præcepto affirmativo, diligendi proximum, prohibet odium proximi, cuius contrarium est actus internus, quo proximus diligitur. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Præceptum charitatis in proximum non solum obligat ad actum internum dilectionis, sed etiam ad actus externos, hoc est, ad beneficia proximo, cum necessesse est, quantum possumus præstanda.

Prob. 1. ex verbis Christi Joan. cap. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. Atqui Christus non contentus fuit actu interno charitatis, quo dilexit nos, sed actum illum prodidit per varios actus externos, varia scilicet in nos beneficia conferendo. Ergo, &c. 2. Ex 1. Joan. cap. 3. ubi dicitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Ergo, &c.

Ratio est, quia interna dilectio proximi præcepta est in bonum & utilitatem proximi. Atqui proximo prodesse non potest per se præcisè, sed solum per actus externos, seu externa beneficia, quæ potest imperare, & quibus potest adjuvari proximus. Ergo præcepta est propter externa hæc beneficia, adeoque præceptum charitatis obligat non solum ad actum internum dilectionis proximi, sed etiam & potissimum ad actus externos, quibus in necessitate proximo subveniri potest. Aliud est de actu interno, quo Deus propter se diligitur: nam hic actus per se patet Deo, qui intuetur cor, nec bonis nostris potest indigere, & per hunc actum colitur, eique creatura perfectè subicitur: unde mirum non est, quod hic potissimum actus præcipitur præcepto charitatis in Deum.

Quæres, quandonam præceptum charitatis in proximum ad actum internum dilectionis proximi obliget?

R. 1. per se obligare saltem pro eo tempore, pro quo per actus externos, seu externa beneficia proximo necessitatem patienti subveniendum est, cum enim actus internus dilectionis proximi sit potissimum præceptus propter actus externos, quibus proximus subvenitur, obligatio actus interni, quo proximus diligitur, non potest non urgere per se & ex natura præcepti, cum urget obligatio actuum externorum, quibus subvenitur proximo. *R. 2.* obligare per accedens, pro eo tempore, pro quo quis tentatur de odio proximi, de vindicta sumenda, vel quavis alia tentatione pulsatur, quæ aliter vitari moraliter non potest.

Quæres, ad quos actus externos obliget præceptum charitatis in proximum?

R. 1. obligare ad actus externos, quibus proximo subvenitur necessitatem patienti in rebus temporalibus. Patet ex 1. Joan. cap. 3. ubi dicitur: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* *R. 2.* obligare ad actus externos, quibus succurritur proximo laboranti in rebus spiritualibus, & ad salutem pertinentibus. Patet ex 1. Joan. c. 3. ubi legitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere (quando id necessitas postulat.)* Hanc obligationem exprimit S. Augustinus lib. 1. de doctr. christ. c. 22. *Quisquis ergo, inquit, rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum.* Et lib. de moribus Eccl. Cath. c. 26. *Quod ergo agis tecum, inquit, id agendum cum proximo est: hoc est, ut etiam ipse perfectè amore diligat Deum. Non enim cum diligis tanquam te ipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis.*

Rationem denique pro utraque parte reddit S. Do-

ctor lib. proximè citato cap. 27. ubi ait: *Homo igitur, ut homini appareat, anima rationalis est, mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim vero anime hominis benefacit, qui hominem diligit.* Præceptum igitur charitatis in proximum obligat nos ad diligendum hominem, qui cum constet corpore & anima, ope nostra indigere potest & secundum corpus, & secundum animam, quia secundum corpus & animam, potest subesse variis necessitatibus, quibus subvenire possumus. Ergo obligat nos ad opem nostram proximo & in corporalibus & in spiritualibus necessitatibus præstandam.

ARTICULUS X.

Quem ordinem servare debeamus in actibus externis, quibus nobis & proximo subvenire possumus.

RESPONSIO I.

TEnemur ex charitate magis providere nobis, quam proximo in bonis spiritualibus, quæ ex charitate tenemur nobis velle, & proximo.

Prob. Nam bona illa spiritualia, quæ tenemur ex charitate nobis velle & proximo, sunt salus æterna, gratia sanctificans, auxilia & media ad gratiam sanctificantem vel recuperandam vel conservandam necessaria. Atqui ex charitate tenemur bona illa nobis magis velle, & studiosius procurare, quam cuilibet proximo, imò quam toti mundo. Ergo, &c.

Prob. min. 1. Ex Scripti. Nam Christus ait Matth. c. 6. *Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam ejus.* Et c. 16. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero sue detrimentum patiar?* Quibus locis Christus evidenter significat debere nos ante omnia salutem nostram consulere. 2. Ratione. Nam ex charitate debemus illud nobis studiosius procurare, quam proximo, quod Deus vult, ut nobis magis amemus, quam proximo. Atqui Deus vult, ut magis amemus salutem & sanctitatem nostram, quam salutem & sanctitatem proximi, ut patet ex verbis Christi laudatis. Ergo, &c.

Dices. Bonum commune in temporalibus anteponendum est bono privato. Ergo & in spiritualibus, adeoque privatus quisque potest & debet sanctitatem multorum propriæ sanctitati antepondere. *R. neg. conf.* Ratio disparitatis est, quia privatum pati detrimentum in bonis temporalibus, potest esse medium necessarium ad procurandum bonum commune temporale. At privatum pati detrimentum in bonis spiritualibus, nunquam potest esse medium necessarium ad procurandum bonum commune spirituale; & contra tunc bonum commune spirituale efficacissimè procurabitur, si privatus quisque bonum spirituale proprium ante omnia procuret.

Dices. Charitas magis amat maiorem gloriam Dei. Sed major est gloria Dei in eo quod plures sancti sint, & beati, quam unus. Ergo charitas magis amat, ut plures sancti sint & beati, quam unus, adeoque præfert salutem & sanctitatem multorum salutem & sanctitati unius. *R.* charitatem in unoquoque magis diligere id, quo Deum magis ipse glorificat, & ita charitatem in unoquoque magis diligere maiorem curam salutis & sanctitatis propriæ, quam salutis & sanctitatis aliorum, etiam plurimorum, etiam totius mundi; quia qui sic amat salutem & sanctitatem propriam; Deum magis amat, eique magis conjunctus & subiectus est, & sic eum magis ipse glorificat.

Dices. Potest quis ex charitate optare, in æternum gratia sanctificante & beatitudine privari propter salutem proximi. Ergo potest quis ex charitate salutem & sanctitatem proximi antepondere propriæ salutem & sanctitati. *Prob. ant.* Nam revera id optant viri sanctissimi, Moyses scilicet, qui Exod. c. 32. sic Deum deprecatur: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et Apostolus, qui sic ait Rom. cap. 9. *Oprobium ego ipse ana-*

thema

thema esse à Christo pro fratribus, hoc est, pro Judæis. Atqui id non optassent, si non ex charitate optare potuissent. Ergo, &c.

R. neg. ant. & dico, quod qui optaret in æternum privari gratia sanctificante & beatitudine, etiam pro totius mundi salute, peccaret graviter contra charitatem, qua & Deum & se ipsum tenetur diligere. *Ad prob. R.* Moysem & Apostolum solum optasse sibi pro salute aliorum privationem specialium favorum Dei, sine quibus & gratiam sanctificantem habere, & beatitudinem assequi, imò & ad absolutissimam sanctitatem pervenire poterant.

RESPONSIO II.

Secundum ordinem charitatis nemo tenetur, aut etiam potest velle peccare etiam venialiter tantum, & ita pati spirituale detrimentum, quale à peccato veniali causari potest, ad procurandum bonum spirituale proximi.

Prob. Quia si aliquando peccatum, etiam veniale tantum, esset ex charitate eligibile, aliquando honestum esset & laudabile peccare venialiter. Consequens repugnat: nam omne peccatum, hoc ipso quod peccatum est, est aliquid inhonestum & vituperabile. Honestum autem esse & laudabile, id facere quod inhonestum & vituperabile est, manifestam involvit repugnantiam. Hinc illud vulgatissimum; Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Hinc Apostolus Rom. c.3. v.7. quosdam qui aiebant eum dicere, Faciamus mala, ut veniant bona, calumniatores vocat. Hinc velle peccare, etiam venialiter tantum, ad procurandam salutem totius mundi, vel etiam ad impedienda omnia peccata mortalia usque ad finem mundi committenda, intrinsecè malum est. Hinc denique, secundum ordinem charitatis, nemo tenetur, aut etiam potest exponere se morali & proximo periculo peccandi, etiam venialiter tantum, ad procurandam salutem totius mundi, vel etiam ad, &c. quia hoc ipso quis peccat, quod se exponit tali periculo.

Dices. Deo magis placet, ut vitentur omnia peccata mortalia, & totus mundus salvetur, quam ut quis non admittat veniale aliquod, puta leve vel mendacium. Ergo quilibet ex charitate tenetur hoc potius velle, quam illud. *R.* Ut vitentur omnia, &c. Deo magis placere secundum se & in abstracto; ac non magis placere, ut à me etiam per peccatum veniale tantum procurandum. Deus enim id omne, quod intrinsecè malum est, adeoque v.g. mendacium etiam leve, prohibet mihi absolute, & pro quacunque hypothesi. Unde etiam eo casu, quo mendacium leve à me prolatum, prævidetur fore occasio salutis totius mundi, vel vitandi omnia peccata mortalia, magis placet Deo, ut abstineam à levi mendacio, quam ut illud proferendo, procurem salutem totius mundi, vel impediam omnia peccata mortalia; quamvis salutem totius mundi procurari, vel omnia peccata mortalia impediri, sit bonum incomparabiliter majus, quam vitatio unius levis mendacii.

RESPONSIO III.

Detrimentum spirituale, quo impeditur augmentum meritorum & gratiæ sanctificantis, non est ex charitate eligibile ad procurandum bonum spirituale proximi.

Prob. Illud non est secundum ordinem charitatis eligibile, quod repugnat inclinationi charitatis. At velle carere augmento meritorum & gratiæ sanctificantis, adeoque velle carere majori sanctitate & gloria, ad procurandum bonum spirituale proximi, repugnat inclinationi charitatis: charitas enim subiectum suum inclinat ad perfectissimam cum Deo conjunctionem, tum in hac vita per sanctitatem, tum in altera per gloriam. Ergo, &c. Hinc nemo ex charitate obligari potest, pro spirituali bono proximi procurando, ad opus ex quo per se minus meriti sequeretur, quam sequeretur ex opere ejus causa omisso. Sed

Dices. Potest aliquis ex charitate obligari ad actus minus perfectos, ut subveniat proximo: sic v.g. aliquis, ut subveniat proximo sive in spiritualibus, sive etiam in temporalibus, potest ex charitate obligari ad non ingrediendam Religionem. Ergo potest aliquis ex charitate obligari ad opus ex quo per se sequeretur minus meriti. *R. neg. conseq.* Nam actus illi minus perfecti, ad quos quis ex charitate obligari potest in necessitate, ut subveniat proximo, non pugnant cum majori merito & augmento perfectionis; & qui ad illos ex charitate obligatur, potest eos cum tali intentionis puritate, talique ardore charitatis exercere, ut magis mereatur eos exercendo, quam mereretur exercendo actus oppositos perfectiores. Ex illis igitur actibus minus perfectis, ad quos quis ex charitate obligari potest in necessitate, non sequitur per se minus meriti, sed solum per accidens, quia scilicet is à quo exercentur, cum posset eos exercere cum majore puritate intentionis & charitatis affectu, non tamen eos sic exercet.

Porro cum non est tanta necessitas subveniendi proximo, ut actus illi minus perfecti sint in præcepto, tunc nequidem in consilio esse possunt, præsertim si moraliter certum sit ex illis minus meriti & perfectionis, quamvis per accidens, & propter fragilitatem eos exercentis, securum esse. Ratio est, quia cum in præcepto non sunt, charitas sine illis conservari potest, adeoque tunc magis inclinatur ad sui augmentum per eorum omissionem procurandum, quam ad procurandam salutem proximi per eorum positionem; & ita tunc eorum positio non potest secundum ordinem charitatis eligi ad procurandam salutem proximi.

RESPONSIO IV.

Potest aliquis ad procurandam salutem proximi, secundum ordinem charitatis aliquando velle pati detrimentum spirituale charitati omnino extrinsecum, puta velle carere spirituali delectatione seu dulcedine.

Prob. Nam hoc potest esse medium necessarium ad procurandam salutem proximi, & aliunde nec cum charitate, nec cum ejus augmento pugnat; imò ad hoc augmentum plurimum conferre potest, cum possit esse maximi meriti. Quare mirum videri non debet, quod etiam sanctissimi viri pro salute proximi procuranda detrimentum hujusmodi libenter subierint.

RESPONSIO V.

Quilibet ex charitate tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quam se ipsum in corporalibus.

Prob. Nam charitas magis inclinatur ad amandum id quod est magis amabile. Atqui anima proximi secundum rectam rationem magis amabilis est, quam corpus proprium: nam in ea Deus magis glorificari potest, quam in corpore proprio. Ipsa capax est actuum beatificorum, quibus possidet Deus, non corpus proprium. Longè præstantiori, quam corpus proprium, modo participat bonitatem divinam, quæ est objectum formale charitatis. Ergo, &c. Præterea unusquisque tenetur diligere proximum sicut se ipsum. Sed unusquisque tenetur se ipsum magis diligere secundum animam, quam secundum corpus. Ergo similiter, &c. Hinc

1. Ex charitate tenemur non solum cura bonorum temporalium, sed etiam cum vitæ periculo subvenire proximo existenti in extrema necessitate spirituali, seu in extremo periculo salutis æternæ. Hoc dicit, 1. Christus, cum ait Joan. cap.15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: nam Christus ita dilexit nos, ut vitam corporalem pro animarum nostrarum vita dederit. 2. Joannes Apostolus epist. 1. c.3. *Ille, inquit, animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*. 3. S. Augustinus in lib. de mendacio cap.6. *Temporalem planè, inquit, vitam suam pro æterna vita proximi non*

non dubitabit Christianus amittere: hoc enim præcæsit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Scriptura autem, & post Scripturam Augustinus loquuntur de casu extremæ necessitatis. Et verò Christus pro nobis in extrema necessitate spiritali existentibus mortuus est.

Ratio est, quia cum ex charitate teneamur proximum magis diligere in spiritalibus, quam nos in corporalibus, in extrema saltem necessitate ex charitate tenemur magis vitare summum malum spirituale proximi, quod est æterna damnatio, quam summum malum nostrum temporale, quod est mors; si tamen, quod semper debet suppleri pro omni casu extremæ necessitatis, certa sit spes subveniendi proximo per vitæ propriæ periculum. Casus autem extremæ necessitatis spiritalis sunt v.g. 1. Si infans sit in proximo periculo moriendi sine baptismo, quacunque tandem ex parte proveniat illud periculum. 2. Si adultus, quem morali certitudine scio esse in statu peccati mortalis; vel dormiens, vel non cogitans, sit occidendus. 3. Si adultus facinorosus sit in proximo periculo moriendi absque confessione, sine qua non nisi difficillimè salvari potest, quamvis simpliciter possit per actum contritionis perfectæ: tunc enim propter rei gravitatem, cum tantoperè salus æterna proximi periclitetur, necessitas censeri debet extrema.

Porro extra casum necessitatis extremæ proximo, cujus salus æterna periclitatur, non tenor ex charitate cum vitæ periculo subvenire: tunc enim cum necessitas non sit maxima, charitas non me obligat, ut ei subveniam cum iactura summi boni corporalis, ut sentiunt Doctores communiter. Dixi: Non tenor ex charitate: nam si pastor sum ovi meæ: cujus salus spiritalis graviter periclitatur, ex iustitia propter officium meum teneor subvenire etiam cum periculo vitæ, si certa sit spes illam adjuvandi, & vitam meam possum exponere sine gravi detrimen- to communitatis. Quod pertinet illud Christi Joan. c. 10. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ (idem dic de eo, qui cum sit pastor, se tamen gerit ut mercenarius, adeoque pastoris officium minimè fungitur) videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Vide S. Thomam 2.2. q. 185. a. 5.

Item cum dixi: Extra casum necessitatis extremæ proximo, &c. nomine proximi privaram personam intellexi: aliud enim esset, si bonum commune spirituale graviter periclitaretur, ut si graviter periclitaretur Religio Christiana, quia hæretici ad veram fidem everendam nihil non molirentur: nam videretur, quod qui ad id idonei essent, ex charitate tenerentur etiam cum periculo vitæ sese hæreticis opponere, ad quod à fortiori tenerentur pastores.

2. Proximo in gravi necessitate spiritali constituto subvenire tenemur ex charitate, non solum cum levi, sed etiam cum gravi aliquo damno temporali proprio. Nam si secundum ordinem charitatis tenemur proximum magis diligere in spiritalibus, quam nos in temporalibus, ordo charitatis manifestè postulat, ut gravem necessitatem spirituales proximi præferamus gravi damno temporali proprio, comparando gravitatem necessitatis cum gravitate damni: non enim charitas obligat nos ad subeundum grave damnum temporale proprium quodlibet, pro qualibet proximi necessitate spiritali etiam gravi: sed inter gravitatem damni proprii & gravitatem necessitatis proximi, servanda est proportio, cujus æstimationem prudenti iudicio relinquimus.

Extra casum verò gravis necessitatis spiritalis, proximo subvenire cum gravi nostro damno temporali, non est in præcepto, sed est in consilio: cum enim bonum spirituale proximi de se sit majoris momenti, quam temporale proprium, cum sit altioris ordinis; bonum spirituale proximi, etiam extra casum gravis necessitatis, laudabiliter possumus antepone-re temporali proprio etiam gravi, nisi tamen

specialis aliqua ratio cogat nos ad non perdendum temporale proprium extra casum gravis necessitatis spiritalis proximi.

At inquit. Ad quid charitas obligat erga eum, qui voluntariè exponit se periculo damnationis, puta erga eum, qui invadit inimicum ut eum occidat? R. eum, qui invaditur, posse se defendere, & invadentem interficere. Ratio est, quia charitas, extra casum extremæ necessitatis spiritalis proximi, non obligat hominem ad subveniendum proximo cum iactura summi boni corporalis, quod est vita, & in casu proposito invasor non est in extrema necessitate, imò nequidem est in necessitate, sed in voluntaria malitia, ut ait Suarez noster. Ex his

Resolvitur casus latronis viatorem invadentis: nam latro vel armatus invadit, vel inermis. Si primum, & prudenter iudicat viator, ni se defendat, se à latrone interficiendum, potest se defendere, & latronem occidere. Ratio patet ex modò dictis. Si secundum, & nulla alia ratione viator veretur in morali vitæ periculo, à viatore, ne spoliatur quantalibet summa, latronem interficere non posse, sentire videtur S. Augustinus lib. 1. de lib. arb. c. 5. ubi sic ait. Quomodo apud eam (divinam providentiam) sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cade polluti sunt? Ratio autem est, quia quamvis latro voluntariè exponens se periculo damnationis secundum prudentem æstimationem non sit in necessitate, nihilominus charitas postulat, ut iacturam magni boni temporalis de se reparabilem patiamur potius, quam ad eam vitandam positivè conferamus ad id, nempe ad temporalem latronis mortem, ex qua licet præter, aut etiam contra intentionem nostram, malum ejus spirituale summum & irremediabile secuturum est.

RESPONSIO VI.

In eodem genere bonorum & necessitatum temporalium, quilibet secundum ordinem charitatis potest sibi potius providere, quam alteri, privato.

Prob. Nam in eodem genere bonorum & necessitatum temporalium homo non tenetur magis diligere proximum, quam se ipsum; & cum Christus, Matth. c. 19. dicat, Diliges proximum sicut te ipsum, id, sicut non significat omnimodam æqualitatem, ut docent Patres. Ergo, &c. Dixi autem in eodem genere, &c. Nam aliud erit, si in eodem genere bonorum, proximus maiorem patiatur necessitatem, ego verò minorem; aut si in eodem genere necessitatis, proximus necessitatem patiatur in bonis majoris momenti. Sed de his etiam aliàs, ubi de Eleemosyna. Item dixi, quam alteri privato: nam in extrema necessitate, bono communi in temporalibus privatus quilibet potius subvenire debet, quam sibi. Ratio est, quia qualibet pars bonum totius præferre debet bono proprio.

RESPONSIO VII.

Homo, per se loquendo, non potest pro servanda proximi vitæ propriam vitam exponere, secundum ordinem charitatis.

Prob. Nam per se loquendo charitas magis inclinat subiectum suum ad sui conservationem, quam ad conservationem cuiuscunque alterius privati. Ergo per se loquendo, qui propriam vitam exponeret ad servandam alterius privati vitam ageret contra inclinationem, ac proinde contra ordinem charitatis, & sic contra charitatem peccaret. Dixi, per se loquendo: nam possunt esse aliquæ circumstantiæ, in quibus charitas non magis inclinat subiectum suum ad conservationem sui, ut si vita alterius privati periclitantis sit bono communi, vel animarum salutis utilior. Unde possunt esse aliquæ circumstantiæ, in quibus homo poterit laudabiliter propriam vitam exponere pro servanda vitæ proximi.